



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dvbivm III. De Divisionibus Scientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

DVBIUM III.

De Divisionibus Scientiarum.

PARAGRAPHVS I.

Divisiones scientiarum.

RESOLUTIO I.

LXXXIII. **D**ico 1^o, Scientia dividitur 1^o, in Actuali & Habituali.

LXXXIV. Actualis est Conclusio Demonstrationis, sive actus intellectus illatus ex præmissis necessariis, &c.

LXXXV. Habitualis est habitus, seu qualitas à tali actu in intellectu relicta, facilitans nos ad similes actus eliciendos; an autem hæc qualitas sit distincta à speciebus istorum actuum relicta in intellectu? dicitur in libris Animasticis.

LXXXVI. Dividitur 2^o, in Speculativam & Practicam, de quibus Paragrapho 2^o.

LXXXVII. Dividitur 3^o, in Subalternantem & Subalternatam, de quibus Paragrapho 5^o.

PARAGRAPHVS II.

Quanam dicatur Scientia Speculativa, & quæ Practica.

RESOLUTIO I.

LXXXVIII. **D**ico 1^o, Scientia Speculativa (quæ à speculando dicitur, quia nimirum tota est ex natura sua in speculatione seu contemplatione sui objecti, nec transit ad illud quatenus per suam directionem operabile, quasi ipsa posita, jam sit liberum voluntati creatæ imperare ipsius executionem potentia, cui convenit illud exequi) ab Aristotele lib. 1^o. Metaph. cap. 1^o. & 2^o. definitur, *Speculatio, quæ sistit in sola contemplatione sui objecti*: talis autem est Scientia de Deo, Angelis, Cælis, &c. quia nec Deus, nec Angeli, &c. sunt per directionem talis Scientiæ operabiles, quasi, ipsa posita, sit liberum voluntati creatæ imperare ipsorum executionem, &c.

RESOLUTIO II.

LXXXIX. **D**ico 2^o, Scientia Practica (quæ, è contrà ab agendo, seu practican-do, dicitur, quia scilicet, præterquam quod naturam sui objecti contempletur, ulterius transit ad illud, quatenus per suam directionem, regularum traditionem & præceptorum, quomodo fieri possit & debeat, operabile, è quod, ipsa posita, jam sit liberum, &c.) est, quæ non sistit in sola contemplatione sui objecti, sed est proxima regula operis: unde optimè Commentator commento 3^o exponens verba Aristotelis; per speculativam (puta Scientiam) Scimus, ut sciamus; per practicam vero sumus scientes, ut operemur; quia practica finis opus. Talis autem Scientia practica est hæc conclusio, *Omne quod explicat naturam rei debet constare genere & differentiâ; sed omnis definitio est talis; ergo omnis definitio debet constare genere & differentiâ*; liberum enim est voluntati, directione hac, regulâ & præcepto positâ, imperare intellectui, cui convenit definire, executionem definitionis in certa materia: unde cognitio Practicæ rectè dicitur ab Aristotele 3^o de anima cap. 10^o. Text. 5^o. *principium operis*, id est, principium effi-

ciendi suum objectum; & à D. Thoma q. 14. de verit. art. 4^o. *Proxima regula operis*: puta per suam directionem è quod ipsa posita, &c.

PARAGRAPHVS III.

Quidnam sit Praxis.

RESOLUTIO.

C. **D**ico, Praxis (nisi moveatur quæstio de nomine) est quicumque actus, per Scientiam aliquam dirigibilis, sive intellectus sit, sive voluntatis, aut alterius potentia ab his distincta, ita Eximius P. Noster Bacho in 1^{um} Sent. q. 4. Prologi art. 2^o § 1^o, ubi de operatione intellectus, de qua solum est difficultas, ait, *Operatio practica (quæ vocatur praxis) accipitur pro omni operatione intellectus, quæ intellectus considerat scibilia ut operabilia*: Et § 2^o propter alias auctoritates Aristotelis & Commentatoris. 3. de anima, & 6. Metaph. & 6. Et hic, quæ dicunt, quod voluntas est primum principium artificialium & operabilium, & ita videntur dicere, quod prima Praxis est in voluntate. Ideo dico (hic Bachonis præcitati Solutio) quod dupliciter facit voluntas ad Praxim: uno modo antecedenter & dispositivè, & hoc est in generatione ipsius: alio modo consequenter & executivè, puta quando imperat aut eligit prosecutionem ejus, quod dictatum est: tunc dico 1^o, quod verum est, quod istos duos actus attribuit Praxi: 2^o dico, quod neuter perinet ad quidditatem Praxi.

CI. Probatur, quia nullus actus rectè Praxis dicitur, nisi quatenus ex præsupposita regulatione aut directione intellectus, à voluntate, ut secundum illam fiat, præcipi potest; atqui etiam actus intellectus, ut prudentiæ, studii, orationis mentalis, &c. à voluntate ut fiat, præcipi potest: cur enim minus, quam actus voluntatis, potentia loco-motivæ, visivæ, &c. ergo, &c. minor patet: major sumitur ex Aristotele 6^o. Metaph. & alibi, ubi dicit principium praxeos esse electionem: & idem Bacho § 2^o citato Praxis est secundum electionem hominis operatio: & paulo post, *Electio verò*, (ait Commentator) *est de duobus propositis judicium hominis hoc præ altero proponens, ibi est præsupposita regulatio & directio intellectus; sequitur autem post electionem motus & impetus ad actum; hic voluntatis, ut fiat secundum istam intellectus regulationem, imperium*. Quod autem PP. Nostri Complut. Logic. Disp. 13. q. 6. dicant, argumentum, quo dicitur Praxim esse opus sive actum cujus principium est electio, esse indignum, cui Philosophus respondeat, non est satis dignum de tanti Doctoris & fratris dicto sentimentum; præsertim cum aliâ ratione non moveantur, quam quod probet nullam dari Scientiam speculativam, quia omnes actus cujuscumque Scientiæ sunt imperio voluntatis. Non enim dicit omnem actum factum imperio voluntatis esse practicum aut Scientiam practicam, sed electum sive judicatum ex duobus propositis, id est, regulatis, directis, &c. præ alio, ut consideranti patebit.

CII. Confirmatur 1^o, quia non est, cur non æquæ Scientia modum & regulas præscribat, secundum quas fiat actus intellectus, quam actus artis fabrilis, ergo, &c.

CIII. Confirmatur 2^o, reverâ, si hic actus intellectus, Homo est animal rationale, spectetur quatenus ab hoc actu Logicæ docentis, *Omnis definitio constare debet genere & differentiâ*, dirigitur, est Praxis;